

# **La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 145**

Multipliciter multiplex omnipotentis misericordia die perplurimum voluit honorare genus humanum, dum largiri dignatur ut mortalis quilibet valeat ex terrenis rebus mercari coelestia regna, ex transitorii proemia sempiterna, dando scilicet res suas locis sanctorum dei, ad subsidia clericorum Deo deservientium, seu in alimoniam pauperum. Quocirca in nomine sanctae ac individuae trinitatis, ego Boso, comes, simulque Bernardus, ad vicem carissimi quondam amici nostri, piae recordationis Odonis comitis, pro remedio animae ejusdem Odonis, seu pro remedio animae uxoris suae Guendilmodis, donamus Sancto Martino confessori eximio christi, suaequa congregationi, cui praeesse videtur venerabilis dominus Hugo abbas, ubi et venerandosum ejusdem praeclarissimi confessoris christi corpus requiescit, res proprietatis sua, videlicet villam Novientum, cum omni integritate sua, seu quicquid ad eandem pertinere villam videtur vel aspicere, sitam in pago Otmense, in Vicaria Otmense, cum capellis duabus, cum domibus, aedificiis, vineis, terris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus, et immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus ibidem commanentibus, totum et ad integrum de nostro jure ad vicem praedicti Odonis, veluti nostrae fidei commisit, a die praesente in jus et potestatem Sancti Martini, suorumque clericorum, scilicet ad eundem sanctum peculiare concedimus, donamus, simulque tradimus, ita ut ab hodierna die et deinceps in usibus deo deservientium, ad eorum videlicet peculiare, ut praediximus, ipsum praedium cum omni integritate, quicquid ad ipsum Novientum aspicere vel pertinere videtur, seu ab Odone possessum fuit, excepto quod jam olim dederat ad sepulturam uxoris sua, habeatur ac possideatur; ita ut quicquid exinde facere voluerint liberam et firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, et pro absolutione animarum tam praedicti Odonis, quam sua uxoris perpetualiter ante sepulchrum ejusdem gloriosissimi confessoris christi ab eisdem servientibus deo preces cotidie reddantur. Si quis vero, quod nullatenus fieri credimus, fuerit aliqua intromissa persona, seu nos ipsi, aut ullus ex heredibus ac proheredibus suis, seu nostris, qui contra hanc donationem quam prona mente ac voluntate devota ad vicem praelibati Odonis fecimus, venire aut resultationem facere temptaverit, in primis sentiat offensam omnipotentis dei, omniumque sanctorum, nisi cito se correxerit, et insuper una cum socio fisco sexcentorum solidorum ad purum exculti pondus, partibus Sancti Martini, sibique servientibus mulctatus componat, et sua repetitio nullum obtineat effectum; sed haec donatio nostris aliorumque bonorum hominum manibus roborata, firma et stabilis omni tempore valeat permanere. Ego in dei nomine Boso, ad vicem Odonis comitis pro remedio animae meae et sua hanc donationem fieri et firmari rogavi.

[Data] Anno XXXII regnante Carolo rege.